



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XXV. Jephthas innocens victima, typus humanitatis Christi, in  
ara crucis pro nobis oblatae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO XXV.

Jephtias innocens victima, typus humanitatis Christi, in ara crucis pro nobis oblatae.

*Oblatus est, quia ipse voluit. Isaia 53. 7.*

I.

**D**E Jephthe Galaadite viro fortissimo refert liber Judicum, quoddam bellum acerrimum contra Ammonitas gereret, & jam in illorum conspectu castra metasset, ultrò DEO hoc votum fecerit, si ex hoc conflictu cruento gloriosus rediret victor, quòd primum illud, quod ex foribus domus suae sibi occurreret, DEO T. O. M. in holocaustum pro debito submissionis & gratitudinis judicio vellet immolare, Quid multis? Jephthe Ammonitas superat, & ingenti clade sternit, patrium recuperat solum, urbes plures suae subjicit ditioni, atque gloriosus domum revertitur victor.

Hoc cum Salla seu Jephthias filia illius unica inaudiisset, sine mora sese ad congratulandum Patri accingit, cui de domo paterna cum tympanis & chordis omnium prima occurrit; verum paulò post haec cithara in luctum versa est, nam Jephthe videns de longè hanc filiam suam sibi primò occurrentem, seisis suis præ animi dolore vestimentis, exclamavit: *Heu filia decepisti me: aperui enim os meum, & aliud facere non possum: Cui Salla animo planè virili & heroico respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es, concessa tibi ultione ac victoria de hostibus tuis.* Itaque duobus, quos petierat, elapsis mensibus, ultro sese ad mortem & victimam voluntariam obtulit. Paratur igitur feralis scena, erigitur altare, excitatur focus, peracuto cultro transfigitur innocentis puellae guttur, & ingenti cum luctu parentum & totius regionis sternitur haec innocens victima. Unde factum est, ut hanc lamentabilem Sallae mortem Israëlitae quotannis magno cum planctu deflerent: *Exinde mos increbuit in Israëli, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filii Israëli, & plangent filiam Jephthe Galaaditae diebus quatuor.* Cui nos pro lemmate inscribimus: *Victima grata Deo.*

Judic. II. 35.

Hæc

Hæc & similia omnia, teste Apostolo, facta sunt illis in veteri lege existentibus in figura, per quam innocentem victimam non incongruè Cornelius à Lapide innocentissimam Christi humanitatem de Virgine assumptam, & in ara crucis pro nostra omniumque salute voluntariè immolatam intelligit: *Jephte*, inquit, *immolavit filiam suam, Christus carnem & humanitatem.* Et si quondam mors & passio hujus innocuæ puellæ pro salute patriæ se voluntariè in mortem tradentis, tam amaris ab Israëlitis deplorabatur lacrymis: quantò magis nos Christiani innocentissimam virginem Sponsam nostram, ac unigeniti Filii Dei pro nobis passim & crucifixi mortem deprecemur, & gratâ memoriâ recolamus? *Recogitate eum*, ait Gentium Doctor, *qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.*

1. Cor. 10. 11.  
Cornel. hic  
in Jud. 11. 35.

Hebr. 12. 3.

2. Moyses incredibili amore ferebatur erga populum electum à DEO sibi concreditum, unde cum eo absente vitulum aureum conflarent, & adorarent, atque ideò DEUS eos voluit disperdere, tam intenso amoris affectu pro eorum salute Dominum deprecatus est, ut non abhorruerit dicere: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* Collige ex hoc, anime mi, vehementissimum desiderium & incensum Moyse amore in populum suum.

Exod. 32. 31.  
& 32.

Plus Crucifixus JESUS, qui seipsum pro populo suo obtulit ac dedit in sacrificium, ille in voto, hic re ipsa se ipsum voluntariè sacrificavit in cruce pro peccatis hominum; unde paulò ante necem crucis palam edixit: *Pro eis ego sanctifico.* Hoc est *sacrificio me ipsum.* Ita S. Leo. Quocirca non casu, sed electione ipsius & Patris cœlestis factum est, ut in die festo Paschæ coram omni populo in altari crucis, & manibus quidem extensis, atque extrâ portam Jerosolymitanam non coactus, nec invitus, sed sponte pateretur. Hinc rectè Apostolus: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Pro reflexione morali attento perpende animo, quid ad hoc dicat Sanctus Doctor Mellifluus: *Oblatus est, inquit, non quia meruit, non quia Judæus prevaluit: sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi, Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorē quam habuit, nimirum, quæ pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille se ipsum obtulit, tu quis es, qui te ipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur Majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico: Utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre? Bonum enim mihi longèque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar,*

Jo. 17. 10.  
S. Leo ep. 83.

Gal. 2. 20.

S. Bernhard.  
serm. 3. de  
Purif. B. V.

quàm deserat mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur; in te verè exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur.

1. Parte histor.

S. Domin. lib.

2. cap. 31.

Idem Seraph.

Razius in suo

viridario.

3. Pro exemplo nobis sit S. Petrus M. ex Ordine P. P. Prædicatorum, ad quem Mediolani in sua cella morantem ob singularem animi candorem ac puritatem quâdam vice tres de cælo sacræ Virgines, videlicet SS. Agnes, Catharina & Cæcilia venerunt, de æterna beatitudine ac immensa illa felicitate, quâ electorum fruuntur animæ, & de infinita divini Sponsi sui pulchritudine cum illo amicabiliter & altâ voce discurrentes. Accidit, ut tunc casu cellam D. Petri quidam ex Ordine Frater transfret, qui colloquentes audit, & per januæ rimam Virgines esse observavit, & quia mundanas & illustres domicellas esse credidit, quantocyus ad P. Priorem conventûs se contulit, cui rem totam ex ordine significavit: Audiit hæc Prior non sine indignatione, unde conventum convocat, Sanctum citat, severè illum objurgans & impropersans, quòd contra sacri Ordinis instituta mulieres in suum introduxisset cibiculum.

Quid ad hæc S. Petrus? noluit, quia humillimus erat, suam prætereundere innocentiam, & cæleste aperire secretum, idcirco pœnitentiam licet innocentissimus lubenti animo acceptavit peccatorem se solum coram cæteris Fratribus humiliter profitens. Quamobrem ex sententia Prioris Aexium Marchiæ urbem in exilium relegatus est, ubi per aliquot menses obscuro carceri mancipatus aliam licentiam non invenit, quàm ut quotidie sacrificio missæ posset in choro interesse. Contigit, ut quâdam vice Sacerdos missam celebraturus (ita disponente DEO, qui omnia suaviter ordinat in suum finem) diutiùs in sacristia moram faceret. Interim S. Petrus ad effigiem crucifixi Redemptoris, quæ ibidem in conspectu pendebat, se convertit, coram qua humi devotissimè prostratus, & in lacrymas ob exantlatum hæctenus exilium solutus, in hæc verba prorupit: *Et tu Domine usquequòd?* En optime Salvator, nosti utique me de illo crimine, de quo apud Superiorem delatus fui, prorsus esse innocentem. Et quousque mi Domine, hanc infamiam, exilium, honoris jacturam, tetrùmque carcerem innocens adhuc patiar? Quid feci benignissime JESU! Scrutator renum & judex cordium! quòd innocenter tali opprobrio & contumeliâ afficiar?

Quid hic expectas, anime mi? En quàm attentæ sint aures Crucifixi Servatori tuo! Vix enim hæc Divus ille effatus est, cum mox Crucifixus illum benigno intuens vultu, suavi voce respondit: *Et ego Petre quid teci, ut cruci affixus fuerim?* Ad quid innocentiam tuam obtrudis, quasi immeritò hæc patiaris? Num me es innocentior? Conqueris

reris de carcere, infamiâ, fame, siti & ignominiâ: *Et ego Petre quid feci?* Quibus verbis mirâ suavitate à Christo crucifixo prolatis, cor S. Petri M. adeò emollitum fuit, ut non solum totus abiret in lacrymas, sed & crucifixo JESU, quem nunc præ rubore vix audebat aspicere, penitus sese in omnibus subjeceret, atque seipsum de hac animi imbecillitate graviter inculparet: O pietissime JESU, dicebat intra se, ô Amor crucifixe! fateor, exiguam, imò nullam esse hanc pœnam, quam justissime ob mea in te delicta patior: en paratum nunc cor meum ad omnia quæ jusseris & imposterum mecum disposueris: Superadde quidquid tibi DEO & Salvatori meo placuerit: Veniant in me & super me ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli, tantum ut Christo fruatur.

Sic de novo confortatus aliquantisper adhuc hoc exilium quieto & alacri sustinuit animo, sed brevi ejus innocentia nota facta, & evulgata est, unde à tetro carcere in Lombardiam & Mediolanum revocatus fuit, ubi sanctæ Inquisitionis munere & honoribus cumulatus, tandem ut gloriosus Martyr per impium & hæreticum sicarium pro fide Catholica & honore crucifixi JESU per plura vulnera occubuit, Anno 1252. quem plurimis coruscantem miraculis statim anno sequenti Innocentius IV. P. M. SS. Martyrum numero adseripit, ejusque festum die 29. Aprilis quotannis ab universa Ecclesia celebrandum ordinavit.

Ecce quomodo in omnibus angustiis & adversitatibus Christus crucifixus, qui voluntariè pro nobis in ara crucis se quondam sacrificavit: *Voluntariè sacrificabo tibi, sit perfectissimum nobis patientiæ exemplar:*

*Per patientiam, ait Apostolus, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem &c. Et quomodo tu, anime mi, tuam sustines crucem?*

*Psal. 53. 8.  
Hebr. 12. 2.*



CON-